



**Programma Quo Decanus Et Collegium Theologicum in Academia Rostochiensi  
Ad Exequias quas ... Dn. Johanni Kleinio, S.S. Theolog. Professori ... Cives  
Academiae omnium ordinum peramanter invitant**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756283876>


Druck Freier  Zugang






Uiac  
orum  
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





21  
Programma  
*Quo*  
DECANUS  
*Et*  
COLLEGIUM THEOLOGICUM  
in Academia Rostochiensis

*Ad Exequias*

*quas*

*Reverendo & Clarissimo Viro,*

DN. JOHANNI  
KLEINIO,

S.S. Theolog. Professori eximio, Col-  
legæ suo desideratissimo,

hodie ad mediam primam in templo  
Mariano paratas cupit


*HOSPES MOESTISSIMUS,*

Cives Academiae omnium ordinum pera-  
manter invitant.

---

ROSTOCHI

*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.*  
Anno M. DC. XXXI.





DECANUS  
ET  
COLLEGIUM THEOLOGICUM  
in Academia Rostochiensi.



Uanquam sacer codex vita  
humanae brevitatem & fugacitatem  
nobis depingat accurate, dum eam  
comparat nubibus velociter decur-  
rentibus, avibus in aëre volantibus,  
& navibus per mare transeuntibus,  
quarum nullum invenitur itineris  
illius vestigium: floribus item pra-  
torum & foliis arborum subito marcessentibus, imò vanissimis  
somnia, & bullis in aquis valde quidem intumescantibus, sed sta-  
tim iterum evanescentibus, textorumq; telis, quas subito jam fi-  
nitas abscindunt: causam quoque hujus miseriae ostendat aperte,  
iram scilicet & furorem Dei, qui odit in nobis omne malum, quod  
per praevagationem primorum parentum, in quibus peccavi-  
mus, contraximus, amittendo imaginem creatoris, & acci-  
piendo similitudinem deceptoris: attamen ratio humana, uti  
solet omnia Dei consilia & judicia curiose potius rimari, quam  
pie mirari & religiosè adorare; ita etiam hoc de celeritate  
moris hominum examinare, & reprehendere non veretur. Sic  
enim judicat: Si omnibus omnino hominibus moriendum, cum  
omnes in Adamo peccarint, æquum est, ut ij, qui & Deo vi-



vunt, nec sibi tantum, sed & patriæ & proximo se natos intel-  
ligunt, & quod intelligunt, re ipsa præstant, serò tandem & non  
nisi post expleta omnia humanitatis officia in cælum à terra  
discedant; illi autem, qui nec DEO vivunt, nec sibi, nec aliis  
honori & emolumento esse aut student, aut possunt, sed inuti-  
lia potius terræ sunt pondera, Epicuri & grege, nati consu-  
mere fruges, hujus lucis usurâ brevissimâ utantur. Jam ve-  
rò Deus hos inuiciles sapè in terris morari permittit, & illos  
inter homines diurnare non sinit. Verùm cum DEI judicia a-  
lia sunt, quàm hominum, eaque semper justa & recta, etiam si  
humane rationi secus videatur, à temeritate illa & audacia  
censuræ humane de consilijs & judicijs divinis meritorè abstine-  
mus, quorum causæ occultæ esse possunt, injustæ esse non pos-  
sunt. Et sanè si unicuique licet suo jure uti, cur non etiam  
Deus suo jure ad se vocet, quem velit? & more suo, quem a-  
mat & diligit etiam in ipso flore ætatis, ὅτι γὰρ Φίλει θεός ἀπο-  
θνήσκει θεός? Cur non eum, qui non multos quidem annos vi-  
vendo absolvit, sed multos tamen annos bene vivendo post se  
reliquit? Quomodo enim fabula, sic vita: non quàm diu, sed  
quàm bene acta sit, refert, ait Seneca: καλον τὰ μερῶν: κατὰ  
μὲν μερῶν πάλιν. Pius parentibus solemne esse non ignoramus,  
ut de salute liberorum suorum quàm maximè sint solliciti, & se-  
que pericula cervicibus ipsorum imminet, quibus modis pos-  
sint, avertant: cur non etiam cælestis pater sic sollicitus de sa-  
lute priorum, filiorum suorum, eosq; præmatura quidem, at-  
tamen placida morte eximat rebus humanis, & in cælestem æ-  
ternam transferat quietem, ut videlicet præripiantur publi-  
cis periculis & calamitatibus, que ipsorum odium, propter  
impie multitudinis peccata sequuntur, quemadmodum dice-  
bat pio regi Josiæ: Ecce ego faciam, ut aggregeris ad patres  
tuos, & aggregeris ad sepulchra tua in pace, ut non videant  
oculi tui eorum istud malum, quod ego introducturus sum con-

era hunc locum. Has ob causas & alias, humane rationis  
captum superantes, intra paucos annos Deus pro sua sapientia  
ad se vocavit ex hac vita, & in caelestem transtulit nonnullos in  
hac nostra Rosarum Academia professores, Viros doctissimos  
& experientissimos (ut jam de viris juvenibus doctis & elo-  
quentissimis, Ecclesiastico munere, qui apud nos functi sunt,  
non dicamus) Dn. D. Affelmannum, Dn. D. Johannem  
Tarnovium, & ante annum, juvenem adhuc, vix viginti  
trium annorum, Dn. M. Philippum Jacobum Fabricium,  
Eloquentiae professorem dignissimum, S. S. Theologiae, & lin-  
gularum, quae ad eam recte discendam, docendamq; summopere  
sunt necessariae, peritissimum, & cui nunc justa fient, Virum  
Reverendum & Clarissimum, Dn. M. Johann. Kleinium, S. S.  
Theol. professorem doctissimum, collegam & amicum nostrum ho-  
norandum qui vix annos viginti septem complevit. Nat<sup>us</sup> enim  
est Anno 1604. mense Septemb. Soltquelle, quod est oppidum in  
Marchia veteri celebre & per vetustum, ex parentibus honestis-  
simis, patre quidem Johanne Klein, cive & institore, viro bonae  
famae & existimationis, jam ante annos aliquot pie defuncto, ma-  
tre vero Elisabetha Wittages, matronarum virtutum nitore  
cōspicua foemina, ex praecipua quadam Wittageorum familia a-  
pud Soltzell, nata. Sed hujus Viri eximij vita cursus laudabilis,  
pro more, breviter exponendus, ut quod debetur praeconium  
virtuti, persolvatur, & aemulatio in generosis pectoribus hac  
commemoratione excitetur. Postquam igitur in hunc mun-  
dum fuit progenitus, à praedictis parentibus, magistris & in-  
formatoribus juventutis in Schola patria fidelissimis, adhuc  
admodum puer, fuit traditus. Horum industria & fide, be-  
nedicente eorum laboribus Deo, tam feliciter brevi addidit  
linguam Latinam & Graecam, ut anno aetatis decimo quinto,  
ad Academiam Giessensem, quae id temporis, ob cultum stu-  
diorum, praeceteris celebrabatur, proficisceretur, ubi etiam  
A 3 biennio

biennio post gradum in Philosophia summum, qui Magisterium vulgò appellatur, consecutus est ritu publico. Inde discedens, cum in itinere parentes, sorores & agnatos salutasset, ad hanc nostram Academiam se contulit Anno 1621. Recepit eum in ades suas, Vir Reverendus & Clarissimus, Dn. Johannes Quistorpius, SS. Theologiae D. & Professor celeberrimus, collega & amicus noster colendus, cujus etiam convictu usus est, donec Anno 1623. cum nobilibus quibusdam in Belgium ablegaretur, quos ipse praeceptor informavit. Substitit Lugduni Batavorum per biennium, & eximios in illa Academia viros, literas bonas & historias cum primis profitentes, diligenter, nec sine fructu audivit. Rediit inde ad nos, Dei vocantis ductum haud dubiè secutus Anno 1625. à quo tempore denuò usque ad diem obitus apud hospitem suum veterem commemoratus est, paucis exceptis mensibus, quibus vixit apud Amplissimum & Consultissimum Virum, Dn. Albertum Heinium, Jctum & Antecessorem Academiae nostrum celeberrimum, collegam & amicum nostrum observandum. Literis egregiam non tantum impendit operam, sed & pietatis fuit studiosissimus, & proinde à vicijs ijs, quae sacris studijs inimicissima sunt, fuit alienissimus. Vixit admodum temperanter: ex ore ipsius sermo putris & obscenus non fuit auditus, quod optimi ingenij indicium fuit. Quemadmodum enim è voce (ut hoc de suo mihi largiatur Erasmus) agnoscimus hominem, facie non conspecta: nam sua cuiq; vox: ita ex oratione licet hominis ingenium & vitam conjectare. Facilis praeterea fuit omnibus, difficilis nemini. Hinc factum, ut Amplissimus hujus urbis Senatus, commendante Collegio, ei professionem Theologicam, quam Dn. D. Affelmannus p. m. obitu suo vacivam fecerat, judicare conferendam Anno 1629. quo ipso tempore etiam Amplissimus Senatus Hamburgensis illum hinc Hamburgum ad Eloquentiae lectionem in Gymnasio vocavit, quam

quam tamen vocationem honestè declinavit. Professionem  
Theologicam sibi oblatam adijt solemnì introductionis ritu eo-  
dem anno die 23. Aprilis, quam Spartam commissam etiam  
postmodum, disputando, legendo, quâ publicè, quâ privatim  
ornavit egregie: aliquot etiam vicibus, eum doctas ad populum  
è templorum nostrorum suggestibus conciones habentem audi-  
vimus. Scripta quoq; non nulla per quæ & posteritati notus erit  
concinnavit, puta 1. Urbis & templi Hierosolymitani descri-  
ptionem, quæ nondum typis exscripta. 2. Dissertationem Histori-  
co-Theologicam, de criminationibus nonnullorum, qui pacem  
publicam in Comitij Augustanis sancitam, ad Lutheranas, ut  
vocantur, Ecclesias, nihil attinere, aut alioquin non servan-  
dam esse hoc tempore, contendunt. 3. Jubila & Dissertationes  
de orthodoxarum Germanicarum Ecclesiarum confessione Au-  
gusta edita, & proximis hisce centum annis publicè conserva-  
ta. Hæc lucem viderunt publicam, ex quibus, ceu ex ungue  
Leonem, cognoscere licet. Lucubrationibus nimis, & lectio-  
nibus diutim per quatuor horas habitis, in quibus omnes N. T.  
libros, exceptâ Apocalypsi, resolvit & interpretatus est,  
morbo, in quem 13. hujus mensis Julij incidit, occasionem ali-  
quam dedisse videri potest: nam ut Poëta canit:


Attenuant juvenem vigilatæ corpora noctes;

sed ab eo, qui mentem hanc bonam & præclaram ipsi inspiravit,  
omnia hæc pependisse statuimus, qui non ignoramus, strenui  
militis esse in acie stantem & luctantem concidere, & meliorem  
posse rationem de labore, quàm de otio nostro imperatori à nobis  
reddi Fuit morbus ille febris continua. Ea autem morbi tempore  
ipsius habita fuit ratio, ut nec diligentior, nec accuratior ha-  
beri potuerit. Medico commissus est experientissimo & do-  
ctissimo, qui nihil quidquam in industria desiderari passus est,  
Dn. Doctori Christiano Smilovio. Hic quoq; alios Clarissimos  
& Experientissimos secum medicos adduxit, Dn. D. Johan-  
nem.

nem Bacmeisterum, Dn. D. Jacobum Fabricium, & Dn. D. Joachimum Stocmannum, omnes professores celeberrimos, qui & agrotum inviserunt, & medicamenta exhibita approbaverunt. Verum cum illa adesses hora, quam summus vitæ arbiter ipsi destinaret, medicamentorum ope, illa prorogari non potuit. Dum decumberet, morbi dolores, ut Christianum & Theologum decebat, patienter tulit, donec tandem, præterito die Martis, post decimam vespertinam, in continuis ad cælestem parentem suspirijs, & invocatione Salvatoris nostri Jesu Christi, sine mortis tormentis, placidissimè expiravit. Hic fuit vitæ cursus & exitus Viri Reverendi & Clarissimi, Dn. M. Johannis Klenij, SS. Theol. Professoris in hac nostra Academia eximij. Magno autem in luctu versari, ob tanti viri obitum, matrem viduam mæstissimam, quæ filium unicum, decus & ornamentum familiæ, sorores, quæ fratrem, affines, qui amicum tantum amiserunt, dubium nullum est. Sed cogitent, se filium, fratrem & affinem non amisisse, sed præmisisse, eumque non esse mortuum, sed verius vivere, non extinctum, sed potius lucere, si prophætæ credimus, ut omnino fas est, ut stella, quippe, qui multos ad justitiam erudit. Nos verò Academiae cives, quod singularis officij ratio à nobis postulat, & virtuti, honoriq; defuncti & solatio superstitem debetur, ex intimo charitatis affectu, frequentes præstemus. Luget etiam nostra Academia professorem eximium, à quo maxima quæq; sibi promittebat: Luget studiosa juvenus præceptorem doctum & industrium: Luget & reverendus Dn. Hospes pie defuncti discessum, quem ut filium ex se natum amavit: testemur igitur frequentiam nostram affectum, & jacturam illius discessu factam DEO commendemus rescindendam. Ad quod faciendum omnes hac significatione publicam peramantem & convocamus. Funus fiet hodie hora media prima, in templo Mariano: ubi singulos nostræ reipublice cives conventuros, & simul Academiae, Urbis, totius hujus provincie suamque propriam salutem & incolunitatem DEO protectori commendaturos, prorsus confidimus. P. P. Sub Sigillo Facultatis. 28. Julij Anno 1631.
















the scale towards document

Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 - Serial No. 09A  
Patch Reference numbers on UTT

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-  
minentis vim , non secus ac Demosthenici  
petum imperij Proceres sæpè sensere. De  
non tantum privati, sed & publici partibus,  
inis forma, de religionis purioris vindicijs,  
ibus rectè instituendis, litium prolaxis telis  
ad publicam salutem conservandam necessa-  
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &  
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ  
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû  
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
peris continentia, in fortunæ instabilitate  
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus  
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
& occupatissimus fuerit, semper tamen  
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.  
ioz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
fente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici  
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum  
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
iri & Labeonis J. C. i exemplum annum quasi cum labori-  
quibus tamen cum sensum nimis irretiri & aulæ astringi  
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,  
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-  
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
mavit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-  
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debilior:  
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus  
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò  
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post  
ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,  
Accesserunt lienis & mesaræi obstructiones, & quart-  
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-  
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-  
monum